PARS PRIMA
De Diſpoſitione cujuslibet Textus Biblici in genere.

CAPUT I.

De Præparatoriis quibuſdam ad Tractandum Textum Biblicum.

TRia ſunt potiſsimum, quæ Rhetoris Eccleſiaſtici animum præparant, ne ad hæc ſacra illotis, quod dicitur, manibus irruat. I. Primùm Preces ad Deum præ potentem, à quo omnium noſtrorum ſtudiorum, inprimis autem Theologicorum, ſucceſſus dependet, unde eſt illa D. Jacobi admonitio cap. 1. 5. *Si quis veſtrum indiget Sapientiâ, poſtulet à Deo.* Acceſſurus ergo ad tractandum textum Sacrum, antequam quicquam meditetur, ingemiſcat ad Deum, ut ipſe aperiat librum

Preces præmittantur meditationi.